

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

August Varenius Michael Busseus

**Partis III. In Schola Isaiana Disputatio XIII. De Messiae Vocatione, & Servitute  
apud Israelitas, Ex Cap. IL. Isaiae**

Rostochi[i]: Richelius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827002>

Druck Freier  Zugang



R u . Med 1664  
August Varenius  
Virt-Joachim Idarppenburg  
X



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn775827002/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827002/phys_0002)

DFG

PARTIS III.  
IN SCHOLA ISAIANA  
DISPUTATIO XIII.

DE  
**MESSIAE**  
**VOCATIONE,**  
&  
SERVITUTE apud ISRAELITAS,

Ex Cap. IL. Isaiae,

Quam  
בשׁת יתורה המושיע

PRÆSIDE

**AUGUSTO VARENIO,**

SS. Theol. D. & Theologo Professore, Consistorii  
item Serenissimorum Ducum Assessore,

ad Cūgitōn Academicam proponit

**MICHAEL BUSSEUS,**

Rostochiensis.

in Auditorio Academicō Mesofelen.

Habebitur die XII. Novembris

hor. à 2. postmerid.


— : ) ( o ) ( 90 —

R O S T O C H I ,

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

ANNO C I O I 5 6 LXIV.

16. 1664



Miscellarum Theologicarum dodecas amicæ Eruditorum  
ventilationi à Respondente subjecta.

- A**n ipsa factura imaginum in appendice primi precepti Exod. 20,4.  
simpliciter sit prohibita? Resp. Neg.  
2. An Cacodamones crucis signo fugentur? R. N.  
3. An duabus lapsu protoplastorum causis, qua Diabolus persua-  
dens & homo consentiens, addendum in variabile Dei decretum? R. N.  
4. An de predestinatione in Ecclesia, præsertim cum rudi populo,  
sit differendum? R. A.  
5. An ad Magistratum politicum quoque religionis & sacrorum per-  
ineat curia? R. Aff.  
6. An infans morti vicinus, in absentia Pastoris orthodoxi, potius  
ab aliquo fidei Laico, quam à Pontificio vel Galviniano Sacerdote sit ba-  
ptizandus? R. Aff.  
7. An tunc licet ab Haretico baptizari infantem, si sub dictione illo-  
rum quis cobabit, & de necessitate teneatur ob ius parochiarum? R. A.  
8. An captivus in Turcia, & alijs locis similibus in absentia Christia-  
ni, seipsum baptizare possit; An vero per Turcam vel alium paganum ba-  
ptismum accipere queat? R. N.  
9. An Lutheranus, sine laesa conscientia, apud Pontificios vel Calvi-  
nianos, sacram Cœnam juxta Christi institutionem, accipere possit? R. N.  
10. An ille, qui in agone mortis sub praetextu necessitatibus sua salutis  
appetat sacram Cœnam, deficiente tamen Manistro ordinario, banc à Laico  
quodam possit accipere? R. N.  
11. An omisso recitatione institutionum Cœna Sacerdos consecratio-  
nem rite per agat? R. N.  
12. An S. Cœna exhibenda sit infantibus, & iis, qui rationie sunt  
impotes? R. Neg.

---

Ad Praestantis. DN. RESPONDENTEM Amicum dilectum.

**M**ESSIAM DOMINI SERVUM, magnumq; PROPHETAM  
Pandis, quis gladius, qvæque Pharetra Dei.  
Cerne laborantem DOMINI M, de gente querentem  
plurimus ut fuerit vanus in orbe labor!  
TU studium Domino, BLSSI, moresq; probasti!  
Ipsa Palacome maxima testis erit.  
Et Varnus Soles vigiles, Lunasq; Patronis  
Commendare tuis, & mea Luna potes.

Fer nunc Magnificis Meletemata sancta Patronis.

Certa fides: labor hic non tibi vanus erit.

SCHABBELIO (mihi qvod notum & venerabile nomen)

Dic: nostro semper nomine multa salus;

A. VARENUS.

---

Inter cultores venerandi Codicis ergo

Tu, BUSSÆE, etiam nunc numerandus eris?

Pandito de Cathedra mysteria ponte JESAIÆ.

Non ruus in DOMINO sudor inanis erit.

Cui plura debebam, singularis doctrinae ac modestiae Juveni, cum approbatione omnigenæ prosperitatis paucula hec inter occ. scrib.

CHRISTIANUS Kortholt/D.

---

Quid steriles numeros, quid inania carmina scribam,

Dum sonat in laudes sacra cathedra tuas?

Ipse tua prece es fama; licet esse recuses.

Dum loqueris, laudes differis ipse tuas.

Ejurias Samii, BUSSÆE, silentia ludi,

Et bene nunc audes, ut videare, loqui.

Harpocrati medium monstras generosior unguem.

Littera vocalis, nullus muta Tibi est.

Tempestas facunda sonat per pulpite, nec Tu,

Quam tacitus scenam Roscius egit, ages.

Alternis agitur quadam stipulatio verbis:

Ut Tu des illi, verba dat ille Tibi.

Silicet adversas audire & reddere voces.

Convenit, & reduces volvere utring sonos.

At jussa si non resonant Amaryllida sylva,

Clamatus si fors nullus Apollo domi est,

Sifrustra clamatus Hylas, neq; consonat Echo.

Appendix Cathedra stabit & umbra sua.

At Tu VARENIO qui nunc os PRÆS DE solvis,

Hoc praecunte, potes non nisi magna loqui

Gratui b. scrib.

J. G. Morhofius, D. Pr.

— \* —

תְּקִרְבָּה מִשְׁלֶשֶׁן

הַקְרִמָּה מִשְׁלֶשֶׁן

seu

## ORATIONIS IV. PRÆAMBULUM trimembre,

I.

NEXUS & eminentia PROPHETIAE, & in hac  
ORATOR MESSIAS ογάνθηματος.

Concl. I.

**Q**uod ISAIÆ hactenus in primis familiare fuit, à typœ proposito migrare ad veritatem vel antitypum, id novissime nunc observare licet in c. 49. Præcesserat in fine capit. 48. prophetia de liberatione populi Judaici Babylonica, procurante Deo, ministrante Cyro, v. 20. &c. qvæ in illâ conspicua futura erat, divinâ providentiâ, gloriose in bellis Cyri Babylonicis superante tot ac tanta qvæ Judæorum libertatem remoratura videbantur obstacula v. 21. Inde illud triumfale celeusma, Propheta, revelante Spiritu, acclamante, ac si jam tunc ad portas Babylonis esset Cyrus, illud: Gehet auf von Babel/ stiehet von den Chaldeern! verkündiget und lasset solches hören mit frölichem Schall conf. I. alleg. Qvia ergo libertas illa typus erat eminentioris libertatis, qvam à Dæmonis Tyrannide oppresso mundo attulit SERVATOR MUNDI, proinde ad hanc, accurato nexus ordine, statim erumpit Propheticus ardor c. 49. inducta in descriptione hujus liberationis & libertatis, satisfactione & merito Jesu Christi universaliter impetrata pariter, ac in N. Testamento Catholicè sive à Christo & Apostolis, sive à Christo nonnisi per Apostolos primò intimatae ipsius Messiae personâ, qui adeò in totâ hac Prophetiâ cap. 49. & 50. Orator est, & arcanorum Ecclesiū Novi Testamenti temporibus Evangelicis reservatorum Præco magnificentissimus, qvod non saltem magno consensu Doctorum: sed & ex ipsâ qualitate verborum, seu prædicatorum, & evidentiâ N. T. allegationum complementum ostendentium, constat, ut ne auditi qvidem mere-

Cc

antur

antur, qui haec ad Cyrum referunt, vel sive Prophetam, sive ipsum Israelem hic substituunt.

Concl. 2. Eminentiam quendam Orationis hujus & sequentium singularem praे illis quæ antecesserunt, observare licet, quantum tanti Lutherus noster aestimavit, ut ad initium cap. 49. scribere non dubitaverit: Esaias primâ parte absolutâ, hic novum quasi librum orditur & prophetat de futuro regno Christi usque ad finem, de quo magnifice loquitur, ut rāmen promissiones ha Spiritu intelligi debeant nec pertineant ad corporale regnum. Mens scil. Lutheri fuit, hactenus Prophetias de Christo vel obiter saltem vel typicè propositas, & aliis sive de Babylonica captivitate, liberatione, ipsoq; adeò Liberatore Cyro prophetis, sive Consolationibus & Elenchis populi iungiventer, fuisse intermixtas: at ab hoc capite planius omnia incedere, & directe sine regressu ad typum, respectum literalem ad felicissima N. T. tempora, ipsumq; Messiam Sc̄avθωμv, & regnum infinitum habere. Nec negat ex Pontificiis Sanctius in hoc loco: Prophetam singulari planè atque divino artificio libertatem Iudaorum cum omnium gentium libertate, Christum cū Cyro, veritatem denique cum typo antegresso, componere & conferre: superiori variationi & libertatem (c. 48.) ad solam gentem Israelitidem pertinuisse: Præsens ad gentes orbis terrarum, ad quas spectet melior illa longe, patentiōr libertas: ut tamen idem concedat jam inde à v. 14. & illa querela Sionis, regressum ad typum, qui jam ante præcesserat in cap. 48. & adeò illa quærela Sionis sit ipsius Populi Iudæi in Babylonica captivitate detentii, prout gloria, quæ sequentibus versibus describitur, ejusdem populi jam per Cyrum libertati sue & patriæ redditii, & ipse populus in utroq; statu & captivitatib; libertatis, typus Ecclesia, & ut pressæ, & ut amplificandæ, et si dubius, juxta utramq; sententiam, & de Iudaorum captivitate & Ecclesiæ conatur illa capitum explicate. Agnovit eandem hujus orationis eminentiam singularem R. Abrabanel his verbis: אחורי שהשליך ליעד עניין כה ומקורה ביה שמי נתקל לרבר בגאולה העתודה ביאור גדרות מבל' ערוב שאר id est, postquam absolvit Propheta argumentum Babylonicum

## ORATIO IV.

199

nicum, & templi 2. procedit ad argumentum de liberatione futurâ Catholica, id est per omni magnâ verborum perspicuitate, sine aliorum argumentorum vel typorum intermissione. Haberent benè omnia, nisi in illâ הַגָּאוֹלָה הַכְּלָלָה. *S. liberatione Catholicâ, ex hypothesi Synagogæ Judaicæ communi partim, partim peculiari delitaret, hanc, ad solos Judæos sub Assyro etiam olim deportatos, & ad corporalem aedem Judæorum omnium, seu ḥadashot quæ in terram Canaan reductionem, futuram demum cum primam Messie manifestationem, cum Universa sua gentis liberationem & carnalem in integrum restitucionem, ac templi 3. reædificationem referendo. Sed in Judæo dandum hoc fuerit velamento quod non aboleatur nisi in Christo. Viderint autem, qui ex Christianis nostrâ ætate defendunt sequentia paradoxæ (1) Corporalem Judæorum vel Israelitarum in terram Canaan reductionem, Hierosolymorum item post vastationem per Titum Vespasianum factam, reædificationem à Prophetis esse prædictam, & velut futuram adhuc, credendam. (2.) De eadem unius gentis Israeliticæ liberatione, non Catholicâ mortuorum resurrectione in novissimo die, sensu proprio & nativo agere Danielem c. XII. v. 2. 3. (3.) Prædictiones Apocalypticæ c. 21. 22. de felicitate terrestri in hoc seculo ante judicium extremum futurâ, ex intentione S. Spiritus intelligendas, & de terrenis Hierosolymis ante judicium extremum expectandis, illa, quæ dicuntur, de civitate Dei, s. novâ Hierosolymis c. 21. à v. 10. ad fin. cap. Viderint, inquit, annon patrocinetur hypothesibus Judæorum, & sint retinaculum illius καλύπτος.*

*Prophetæ*

*II.*

*Prophetia hujus vel Orationis Isaiana & distinctio juxta intervalla fontium.*

Absolvitur magna hæc Oratio Isaiana Decade Pharascharum seu sectiuncularum minorum, quarum singulæ, salvâ subordinatione & catenâ textus discribam quodammodo continent argumentum. I. c. 49. ad v. 5. II. à v. 1. ad 7. III. v. 7. IV. à v. 8. ad 14. V. à v. 14. ad 22. VI. à v. 22. ad 27. VII. inde ad f. c. 49. VIII. c. 50. ad v. 4. IX. à v. 5. ad v. 10. X. i. de adusque finem c. 5. ubi definit Orationis præsens.

*Cc 2*

*III. Sum-*

*Summa argumenti Prophetie, & hujus ordinata deductio  
per 10. illas Orationis presentis sectiunculas.*

Messias post prædictam (c. 48.) autoritate divina populi Israe-  
litici libertatem corporalem, seu futuram, se procurante, & jam  
nunc imperante, ex Babel liberationem, in c. 49. & 50. de non uni-  
us gentis: sed generis humani liberatione & sui ipsius futurâ ad exe-  
cutionem officii redēctionis missione (quam cap. 48. vers. 16.  
paucis verbis intimaverat) ex professo Orator, I. vocationis suæ  
mediatoria & instructionis officialis plenaria mysterium universo  
orbi intimat, præviâ tali universalí intimatione, Consilium prima-  
rie sue ad Israelitas missio[n]is, ejusdemq[ue] effectum intentioni divinæ  
gratiola contrarium, per oppositionem dictigemini (unum scil. est  
Dei Messiam in gloriam Israelis destinantis: alterum Messie, ob fru-  
strationem Consilii illius de congregandis Israelitis, quasi dolente  
clamantis, de sui officii partibus in hac gente plenissimè peractis,  
protestantis, atque h[ic] ad judicium Dei provocantis) publicat.  
II. Repudiaturis majore numero consilium cœlestis Judæis, ex re-  
velatione speciali, consilium divinum de se posito in Lumen gentium,  
& adeò ex seriatim Dei intentione destinato non solis Judæis: sed o-  
mnibus gentibus Redemptore, seu mundi Servatore, ipsumq[ue]; voca-  
tionis gentium mysterium velut potentissimum sui in officio fir-  
mamentum explicat. III. Nec saltem illo Consilio: sed & uberrimo  
splendidissimoq[ue] in orbe gentium fructu Evangelico, apud ipsos  
etiam gentium Reges & Principes sibi promisso: quin & IV. precum  
votorumq[ue] suorum, exaudiendorum in plenitudine temporis præ-  
conis Apostolorum Evangelici, in orbe gentium convertendarum,  
complemento, vocationis suæ confirmationem, contra illam ex  
prævisione certissimâ finalis infidelitatis Judaicæ orituram tenta-  
tionem, designat. V. Sionem (seu Ecclesiam consanguineâ sibi  
sobole maximè destitutam, & inde) deseratam se obliu[m]q[ue], à Christo  
misericordia lamentantem, blandissima venustissimaq[ue]; impossibilis obliu-  
onis, ac desertionis contestatione, in finiti item memorialis, & splendi-  
dissimi ex numerosâ juventute, vel sobole Evangelicâ Ornamenti pro-  
missio.

missione recreat. VI. Amplificationem illam tum qvoad principium & modum, (fore scil. illam autoritate Dei velut Generalissimi Imperatoris, explicaturi quasi signum castrense ad populos, & levaturi manum ad gentes sc. per Apostolos & Evangelium in orbe gentium prædicandum) tum qvoad gradum gloriosum (usque adeò ut Reges & Reginas seu Principes feminas Nutritios & lactantes sit expertura Ecclesia) confirmat. VII. Eandem gloriam vel amplificationem Ecclesiæ N. T. contra periculum dubitationis roborat. Qvia scil. objici poterat, rem desheretam videri, gentium barbararum fœdè Idololatricarum & flagitiosarum, superstitionibus suis hereditariis profundè submersarum, & ad instar preda à Diabolo prædatore robusto detentarum, conversionem, & ex ore illis Leonis liberationem, atq; ve adeò vana illa, qvæ Sioni desertæ promittebantur, incrementa & gaudia, proinde Christus Orator hic occupat, & hoc ipsum, qvod humana sive solertia, sive virtus nec cogitare, nec penetrare poterat, perfecturum se, & quidem cum ipsius Principis mundi judicio, asseverat. VIII. Legitimata ita conversione gentium contra querelas Sionis, nunc contra Synagogæ repudiata murmurationes, consumatisimū muneris sui sanctitatem & maiestatem vindicat, & ipsius gentis Israeliticæ malitiæ, non suæ vel impotentia, vel negligentia imputandam Judæorum spiritualem captivitatem demonstrat. X. Qvin hoc ipsum, seu, penes se non esse culpam rejectionis Judæorum à regno coelesti, ex ipso specialissimo Commissorio coelesti, & muneris sui Passionali Rationario absolutissimo, (in quo omnia & singula juxta voluntatem Dei revelatam ad redemtionem genitum humani necessariò à se sustinenda & per adjutorium Domini superanda, per Indiculum qvendam passionalem & glorioli eventus exprimuntur) probat. X. Curriculi passionis Eventus glorioli ~~co-~~  
~~sequimus~~ vel exemplo, pios ad fiduciam & patientiam provocat: Infidelibus (Judæis in primis, nisi resipiscant) aeternum exitium & ignis supplicium denunciat totus. Hæc Orationis & X. in illâ Phrascharum, seu sectiuncula am minorum, summa & catena est. Seqvitur nunc tractatio angularium.

## I.

## MESSIÆ VOCATIO OFFICIALIS.

à CHRISTO peræda.

à Judæis repudiata.

c. 49. à v. 1. ad 5.

Concl. i. In hujus publicatione, Christo Oratore, (1) imperatur universale Auditorium Judæorum & Gentium, etiam remotissimarum. Jubentur Oratori Christo auscultare, *Insulanis pariter & populis etiam remotissimi per duplicatum Imperativum* (1) שָׁמַע אֶל־ (2) הַקְשִׁיבוּ. Scilicet designatio SERVATORIS mundi prout universale est beneficium: ita Catholicum quoque postulabat Auditorium omnium populorum & gentium. Argumentum adeò, respectu intentionis DEI Filium ad officium redēctionis destinantis, universale, ratio est intentæ postulatæq; universalis audientia, & ratio quoque discretionis, quare scil. cum in exordiis antecedentium Orationum sub titulo *Jacobi vel Israëlis, audientia vel memoriale postuletur* (vid. c. 44. 1. 21. c. 46. 3. c. 48. 1. 12.) hic in ipso novæ Orationis exordio eadem *Insulanis pariter, & in continentis populis omnibus* imperetur. Tam latè scilicet patet hæc oratio, quam ex peculiari servatoris mandato Evangelica prædicatio. At hæc non unius populi Judaici: sed omnium gentium, quibus jussit Apostolos prædicare in suo nomine Evangelium vel pénitentiam & remissionem peccatorum, salvâ primitate Judæorum, prout inter hos Hierosolymitanoram, quod prout à Christo dictum: ab Apostolis peractum conf. Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. Luc. 24. 47. Act. 1. 8. Rom. 10. 18. Coloss. 1. 23. Quid ratio hujus citationis ad audiendum universalis, ipsorum etiam remotissimorum populorum, ad quos Christus Orator audibilis & visibilis, non penetrasvit, nisi personum Apostolicū, ex hoc ipso tex- tu Isaiano 49. v. 6. evidens, Christus scil. ex seriā Dei intentione ordinatus, ut esset rex Terræ ad usque fines terræ, & Servator adeò non Judæorum solorum; sed & omnium gentium, quæ vocandæ quoque fuerint ad agnitionem Servatoris vid. Act. 13. 46. 47. 48.

Concl. 2.

Concl. 2. Præmissâ invitatione ad audiendum (2) Christus  
 orator explicat vocationis, & instructionis suæ officialis mysterium,  
 quosum pertinet (1) ipsa nominalis Messiaæ Θεοῦ πρόσωπος vocatio, seu  
 actualis ad officium triplex segregatio v. i. DOMINUS, inquit, ab  
 utero vocavis me: ex visceribus matris meæ fecit memoriam nominis mei.  
 2. Ipsa vocati instruictio, quæ designatur Gladij & Sagittæ symbolo, in  
 quo utroque respectus ad officium Christi Propheticum & Regium.  
 Scil. (1) Disposuit os meum sicut gladium acutum (2) immo posuit me sagit-  
 tam selectam (terram, nitidam) Quid scil. velut bellator Deus per  
 Christum omnes terræ fines subjugatur erat, non solùm qui pro-  
 pe: sed etiam qui ad ultimas orbis terrarum plagas submoti sunt,  
 idèò non gladij solùm, qui cominus proxima ferit: sed & sagittæ,  
 quæ eminus, & procul distita sternit, ac ad Scopum velut vibrat, ad  
 corda inimicorum Christi perringit, mentionem hic fecit. Respectus  
 adeò hic in gladio acuto præcipuus ad ministerium ipsius Christi per-  
 sonale inter Judæos: in sagitta nitidâ ad prædicacionem Apostolorum  
 in orbe gentium remotissimaru, quæ ratio quod jam supra advocarentur  
 ad audientiam Gentes, seu Populi de longinquo. Utriusq;  
 & gladij & sagittarum acutarum populos sternentium, & in ipsum cor ho-  
 stium penetrantium mentio Psal. 45, 4. 6. Habet scil. & Regnum Chri-  
 sti Arma, gladium, sagittas, quorum divina, & insuperabilis ad ex-  
 pugnandos animos, quantumvis obdurate vis, & hic designatur &  
 alibi explicatur 2. Cor. 10, 4 Jerem. 23. v. 29. Apparet hinc, con-  
 sonantia loquela Propheticæ & Apostolicæ, in quâ freqvens illud  
 ut verbum Dei gladius Spiritus, omni gladio anticipiti acutior & penetran-  
 tor appelletur Eph 6, 17 ad Hebr. 4, 12. Sed & sui Ipsius Interpres  
 Christus, qui hoc loco suo ori tribuit nomen acuti gladij, in apo-  
 calypsi revelatur Johanni, velut Filius hominis, de cuius ore gladius bi-  
 teps acutus processit c. 1, 16. c. 2, 16. atque ita Christus in Apocalypsi  
 revelatus Johanni, ostendit se <sup>c. 1, 16.</sup> de seipso ut Filio hominis futuro  
 Oratorem. 3. Potentissima & fidelissima protectione, quæ utrobiq;  
 tum gladio acuto, tum sagittis nitidâ subjicitur, & absconsonis vel  
 occultationis vocabulo exprimitur: scil. הַסְתִּירָנִי הַחֲבֵרָנִי: sed

Messias

Messias ut gladius acutus & femori quasi accinctus, absconditur in umbra manus : idem autem, ut sagitta nitida, in pharetrâ DEI, seu קָנְפֶרְוָה. Pulchrè Lutherus : Er hat mich mit den Säa in seiner Hand bedeckt / Er hat mich in seinen Röder gesteckt.

Concl. 3. Post explicatum vocationis & instructionis suæ mystérium, idem Christus Orator 3. enarrat speciale Dei Patris de primariâ sui in officio Propheticō destinationē, s. missione ad gentem Israeliticam Consilium, & ex Consilio illo nunc executioni dando præceptum seu dictum vers. 3. D O M I N U S ( qui me Servatorem mundi destinavit, & in gladium acutum, & sagittam nitidam ad omnes gentes verbo Evangelico sibi subjugandas dispôsitus, idem speciale de congregandis in primis Judaeis mihi præceptum dedit, & peculiariter Diaconum Circumisionis esse voluit, atque adeo ) dixit mibi : Servus meus es tu. O Israel, ut in te gloriosum, vel decorum me præbeam, & tibi adeò gloria sim.

Concl. 4. Post publicatum hoc specialissimæ vocationis ad diaconiam gentis Israeliticæ dictum, Christus Orator 4. Prædictus consilii illius eventum, scil. frustratum magnâ parte speciale illud in gente consanguineâ onerosum sibi fatus ministerium, per modū sive Enthymematis, sive dicti. Pulchrè Luth. Ich aber dachte / Ich arbeite vergeblich / und brächte meine Kräße umsonst und unnützlich zu. Huic autem frustrationis dicto opponitur firmamentum, conscientia sc. officij absolutissimi, & operis Mediatorii in speciali etiam illo circumcisionis ministerio, consumatissimè peracti : sed dennoch ist mein Amt bei dem Herrn und mein Amt bei meinem Gott.

Concl. 5. Qværitur 1. An vocatio illa Messia demum ab existentia Messia uterina, an vero ante matris uterum, & vel ab æterno? Resp. 1. Aliud est qværere annon Vocatio Messia, ut Mediatoris, sit ab æterno, & adeò ante Matris uterum? Aliud : An illa vocatio, ut ab æterno, intelligatur in præsente loco? Si prius, affirmatur qvæstio. Decretum mittendi Redemptoris, & ipsa adeò constitutio Mediatoris qvæ facta wœ̄ nō ē, sc. nō wœ̄, seu ab æterno, ac ipsa prædestination, cum etiam in signo ratiōnis divinæ, decretum mittendi Redem-

Si Redemptorem antecesserit decretum servandi homines perseveranter in Christum credituros, & ipsum adeò actum prædestinationis, ut errent, qvi decretum missionis vel vocationis Redemptoris, effectum adæquatum & executivum prædestinationis posse nunt. Christus, prout ab æterno fuit ~~προετοπης~~ agnus immaculatus, cuius pretioso sanguine eramus redimendi i. Petr. 1, 22. ita ab æterno quoque destinatus fuit Mediator, et si non ab omni æternitate realiter seu exercitio reali, & plenariâ ~~έργασια~~ trinum illud officium, ad quod jam fuit ~~προετοπης~~, perfecit, prout nec in omnem æternitatem perficiet. Si posterius, negatur. Vocationis, qvæ hoc loco memoratur, ad executionem decreti, qvæ sit in tempore, pertinet, & facta, vel futura memoratur, ex mero, ex visceribus matris, & æqvè adeò supponit Messiam in matris utero, prout illa qvæ memoratur de Jeremiâ, Johanne, Paulo, vid. Jerem. cap. 1, 5. Luc. 1, 15. Gal. 1, 15.

Concl. 6. Qvaritur (2) an Vocatio hæc sit appellativa, seu ipsa impositio nominis Jesu, & adeò nomenclatura vel appellatio? Resp. Vocatio hæc conjuncta fuit cum ~~הַזְכָרָה~~ seu, expressione nominis, & adeò fuit nominalis, ita ut expresso nomine Jesu Messiam Servatorem mundi DEUS vocaverit: neque verò Vocatio illa absolvitur solà nomenclaturâ, seu impositione nominis JESU. Qvar. 3. qvomodo nominis illius commemoratione demum ex utero dicatur facta, cum id nominis illijam impositum ante existentiam in utero Mariæ, intimatū scil. à Gabriele Mariæ, ~~και οὐδὲν φθῆναι αὐτὸν έτηνει~~ Luc. 1, 31. cap. 2, 21? Resp. Nominatio hæc supponit existentiam, & adeò jam Θεάθησσων, nec per hanc factam, Messiam jam existere in utero, negatur nominatio, proximè facta ante existentiam in Mariæ utero. Sed & vox ~~הַזְכָרָה~~ non dicit simplicem nominationem: sed recordationis causalitatem, seu memoriam nominis c. c. apud Josephum. Idem Gioriel, qvi Mariæ nomen JESU intimavit proximè ante concepcionem, homen idem Josepho intimavit, & qvidem expressa ratione officiali nominis, post conceptionem Matth. 1, 21. ubi vero Messias dicere poterat: Ex visceribus matris

*bus matrū mee שמי הָכִיר seu fecit memoriam nominis mei.* Qvaritur 4. An recte dicatur, *D E U M ex plenitudine potestatis, abstinentia Φιλανθρωπίας, suppeditasse & vocasse Mediatorem? &c: Filium Dei nondum destinatum ad officium Mediatoria, intercessisse ut mitteretur. Relp. ad utrumq; Negatur. Impulsiva destinationis mediatoriae fuit Φιλανθρωπία, tūm respectu intentionis, tūm respectu subministratioonis de suo.*

Concl. 7. Qvaritur 5. Qvomodo umbra manu tribuatur, & Messias sibi protectionem, vel absolucionem tribuat sub umbra manus? Resp. nullum hic periculum sive locutionis impropriæ, sive violatae Allegoriz. Prout se pharetra habet ad sagittam: ita umbra manus ad gladium. Sagittæ receptaculum pharetra est: gladii locus, femur scutum, atq; adeo sub umbrâ manus & brachii sinistri gladius est, unde à manu dextra, qvotiens opus, eximitur. Gladius Messie ad femur describitur Psal. 45, 4. Ipse Messias, prout sub symbolo sagittæ describitur, ut repositus in pharetrâ Dei: ita qvatenus gladius acutus est, sub umbra manus Dei protegitur. Pro hoc sensu vehementer facit positus parallelus. Scil. correspondent, prout

כָּל יְהוָה   הַחֲבִרָנִי	חֶן בָּרוֹן   הַסְתֵּרֶץ
בְּאַשְׁפָרוֹן	הַעֲלִוָּנוֹת

Neque vero negatur in manu divinâ, potentia significatio, ita ut notetur potentissimum Messiae jam à punto conceptionis designati Redemptoris, & positi adeo in gladium acutum & sagittam nitidam, protectorium, in divinâ potentia & specialissimâ providentia, & שטרות הרשות העלונה *custodia providentiae supremæ*, qvæ in pharetrâ hic notatur divinâ. Prout adeo Messias ut sagitta, in Dei pharetra, qvæ quasi pendet ex humero Dei: ita idem ut gladius à latere sive à balteo. Qui per pharetram intelligunt humanitatem Christi, errant. Divinitas non indiguit patrocinio, & latibulo humanitatis, proit sagitta pharetræ. Imò humanitas potius venit in sagittâ: dicitur in pharetrâ. Rectius Cyrillus, in pharetrâ intellexit præsentiam Dei, in qvâ absconditus fuerit Christus, ut tanquam sagitta electa & ad magnum opus destinata.

destinata convenienti tempore inde expromeretur. Qvomodo etiam in toto intervallo inter conceptionem & publicam post Baptismum prædicationem Messias, fuit sagitta in divina pharetrâ.

Concl. 8. Qværitur 6. qvis sensus dicti DOMINI ad Messiam in vers. 3.? Resp. I. à posteriori συγχρήσει, per epierisin comparaturum versionum. Chaldæus proximè literam fontium seqvitur עבָרְ אֶת יִשְׂרָאֵל רַכְבָּ אֲשֶׁר בָּהּ, & adeò à posteriori nihil hic qvod satisfaciat. Græci Αἴλος μετὰ τοῦ Ισραὴλ Καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν παραβαῖ, Junius & Tremel. Servus meus es tu. Israel est de quo per te gloriabor. Vulg. servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Oecol. Et dixit mihi: Servus meus es tu: Israël, quod in te glorificabor. Luther. Dub bist mein Knecht Israel durch welchen ich wil gepreiset werden. Versio Belgica: Ghy zyt myn Knecht/ Israel/ door welken ic vers heerlicht sal worden. Si distinctio ponatur post servi vocabulum, prout rectè expressit versio Belgica, & Oecolampadius, omnino consilio fontium pulchre correspondere videbatur versio Germanica: nec aliam fuisse mentem Lutheri apparer ex scholiis eiusdem in Isaiam. Idem scil. Christus, & servus Dei vocaretur & Israel, qvippe qui tanti nominis, in quo Principatus spiritualis significatio, mensuram solus implevit, cum super humerum ejus sit שׁרָה, vid. c. 9, v. 5. & adeò reddendum: Du (ð Messia) bist mein Knecht. Dub bist der Israel durch welchen ich wil gepreiset werden. Pronomen scil. relativum unà cum affixo sequenti, ex nobili Hebraismo, sequitur personam pronominis demonstrativi precedentie, sive hoc sit loquenter de seipso, sive de alio. Prout ergo in hoc ipso capite v. 23. qvia præcedit pronomen primæ personæ: אַנְּיָהוּן, proinde etiam seqvitur affixum primæ personæ, mediante relativo pronomine, velut vinculo pronominis integri & suffixi, atqve adeò qvod Latinus diceret: Ego sum DOMINUS, in quo qui confidunt, non perdient; hoc in singulâ Propheti aenuntiatur in verl. 1. לְאַנְּךְ יְהֹוָה קָרְבָּנִי binder Herr auf welchen/ eben mich/ harrende/ nicht zu schanden werden Ita qvia hic præcessit עֲבָרְ אֶת בָּנָי Du bist mein Knecht/ Du bist der Israel/ seqvitur pariter in personâ 2. לְאַנְּךְ תְּהִפְנִיא durch welchen (eben) dich/ ich wil gepreiset werden. Fuerit ergo

gō Christus Israel, per quem, vel in quo glorificari volebat apud Israe-  
litas Pater.

Concl. 9. Præstat tamen *Israelis* vocabulum de totâ hîc gente  
*Israeliticâ* intelligere, & illud כָּךְ non ad Messiam servū: sed ad Israe-  
lem s̄ gentem *Israeliticam*, & quidem ita, ut non Israel ponatur gloria  
*Messiae*; sed *Messias gloria Israelis*, referre. Enarrat hîc Christ⁹ Orator,  
*missionis* suæ specialis ad gentem *Israeliticam* decretū, quod sc. *Do-  
minus*, quod veritas pacti divini cum Patribus reqvirebat, sibi dia-  
coniam Propheticam singularem in gente consanguineâ dēmanda-  
verit. Qvod ita recenset, ut simul emphaticè in personā z: ipsum  
Israelem compellando, & ad extraordinariae hujus gloriæ suæ devo-  
tam meditationem, ad penitentiam & visitationis gratiosæ tem-  
porum rationarium illum vocer, & viscera misericordia ad eō fla-  
grantia Israeli designet, eundemq; ex prævisâ hypothesi morosæ  
obluctationis, inexcusabilem, declaret, qui scil. blandissimè vo-  
canti, & consilium cœleste de *Israelis* congregatiōne & specialis-  
simâ sua ad illum legatione patheticè explicanti, immobilis &  
מִלְאָכָל obliterit, nec nisi prodigiosa ingratitudine & re-  
bellione summis beneficiis & Οἰλαυθρωπίαι Servatoris consanguini-  
nei responderit. Inde, cum proposuisset dictum Domini unā pate-  
te, scil. Tu es servus meus, quod supererat, scil. servitutem illam spe-  
cialiter intentā in gloriam & congregatiōnē *Israelis*, emphaticâ ad  
Israelem Apostrophâ proponit: atqye adeo quod in oratione Dei  
Patris ita coaciendum fuerit; ac si dixerit שֶׁבַי אֱתָה יִשְׂרָאֵל  
אֲשֶׁר בְּזַהֲפָאָר vel עֲבָרִי אֱתָה אֲשֶׁר בְּזַהֲפָאָר אשר, ipse  
Messias מֶלֶךְ, εὐδοκίας & voluntariam servitutis hujus admis-  
sionem, seriam conversionis *Israeliticæ* intentionem declaratu-  
rus, ita allegat: אֲשֶׁר בְּזַהֲפָאָר עֲבָרִי אֱתָה יִשְׂרָאֵל. Dixerit:  
Deus Pater: Tu es servus meus apud Israelem; vel, in gloriam *Israe-  
lis*. Hoc ita enunciat Filius Orator: DEUS Pater dixit mihi: Tu  
es Servus meus (dixit; inquam, hic mihi) O Ismel, ut in te, vel inter-  
te me decorum gloriosum, prestem, & adeo tua sim gloria, tibi sim de-  
eus & primatum ornamentum. Nullum huic patheticæ trans-  
lationi obstaculum ex consilio fontium: sed omnia pulchre con-  
sonant.

sonant. Facit quoque pro illâ 1. Israel in Isaiâ semper collectivum seu gentis nomen. 2. Positus parallelus cap. 44, 23. 3. Contextus v. 4. 5. 6. 4. Messias & positus in gloriam Isaelis vers. 3. & in lucem gentium conf. in Luc. 2, 32.

Concl. 10. Qvaritur 7. Quæ ratio hujus servitutis Messiae de seipso loquentis: DOMINUS dixit mihi: SERVUS MEUS ES TU. Resp. 1. Omnis servitus Messiae, quæ memoratur in scripturis, supponit humanitatis existentiam, & in persona  $\text{E} \lambda \gamma \text{s}$  subsistentiam, atq; adeò, suppositâ unione hypostaticâ, pertinet ad statum exinanitionis, & ipso quoq; exercitio reali desinit in exaltatione, postquam secidem ille Servus  $\text{מַשְׁכִּיר}$  seu sapienter & feliciter functione Redemptio via peracta  $\text{וְרוּם וְנָשָׂא}$  id est, exaltatur (per resurrectionem) elevatur (per ascensionem) & excelsus est valde (per majestatem ad dextram Patris sessionem) Isa. 52, 13. Resp. 2. Omnis illa servitus Messiae est voluntaria, prout tota  $\pi \epsilon \nu \omega \sigma \iota \varsigma$  Messiae spontanea, & adeò est totius quidem Christi: sed secundum solam naturam humanam, & ut exinaniti. Conf. ad Philip. 2, 7. 8. 9. Hebr. 2, 9. & c. 10, 7. Resp. 3. Character adeò servitutis ex naturâ rei supponit  $\pi \epsilon \nu \omega \sigma \iota \varsigma$ , et si tam constitutio Servi, quam incarnatione Dei facta in utero matris, & momentis temporum non distinguitur. Testis hi l. Christus ipse, se jam inde à conceptione uterina vocatum, & actu ipso, expresso nomine, designatum Servum DÖMINI. Testis spontaneæ suæ servitutis, ipsa pathetica ad Israelem Apostrophæ (vid. qvæst. 6.) Ex natura rei, pro ratione mysterii revelati, ita discernendi sunt actus, ut ponatur 1. ipsa humanæ naturæ per supernaturalem generationem sive conceptionem ex beatâ Maria virginе existentia: 2. Assumptio humanæ naturæ in infinitam  $\text{E} \lambda \gamma \text{s}$  hypostasis, & qvicquid per unionem illam consecutus est Christus: juxta humanam naturam: 3. Spontanea ex consilio redemtionis,  $\pi \epsilon \nu \omega \sigma \iota \varsigma$ , & in hac servitus illa officialis.

Concl. 11. Resp 4. Servitus, quæ hoc loco memoratur, non ad officium sacerdotale mediationis, reconciliationis, nec ad officium Propheticum Messiae universale, annunciandi pacem merito sanguinis crucis universaliter impetratam, omnibus, tam  $\pi \epsilon \nu \omega \sigma \iota \varsigma$

neḡr̄ seu Gentibus remotioribus, qvām 7ig. syȳd, seu Iudeis propinquioribus Ephes. 2. 16. 17. Sed supposita utriusq; illius intentione executione universalis, ad personale & immediatum Christi in gente Israeliticā ministerium, & officii illius Prophetici communis ex singulari Dei pacto, & Judæorum, præventionis jure, & ipso Christo immediato Doctore gaudentium privilegio, peculiare & eminentius in hac gente exercitum, pertinet, & ad missiōnē adeō illam, cujus resp. Servator se dicit non esse missum nisi ad oves perditas domus Israelis Matth. 15. 24. Officium quidem Propheticum Messiae & qvæ objective erat universale, ac Sacerdotale. Qvibuscunq; reconciliatio imperata virtute officij sacerdotialis, illis ex serio Dei consilio fuit annuncianda & annunciatā ratione officii Prophetici.

Concl. 12. Cœterum salvâ primitate Judæorum, & hac tūm temporis vel ordinis, (in ministerio non saltēm ipsius Christi: sed & Apostolorum post ascensionem Christi: unde illud adeō decantatum in N. T. libris Judeo περὶ ἡλίου, & deinceps ἐλληνι., Rom. c. 1. 16. c. 2. 10. & clarissimum in Nud à Paulo Iudeis blasphemè contradicentibus ex hoc imprimis & aliis locis Isaianis objectum: *Vobis Iudeis neceſſe erat, primum annunciarī sermonem Dei: Cœterum, postquam vos rejetitis, ecce convertimur ad gentes!* Ita enim DOMINUS nobis precepit Act. 13. 37. sed & Christus ipse jussit quidem prædicari in nomine suo pénitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes: sed ita ut prout Christus ipse incepérat ab Hierosolymitanis & Iudeis: ita & Apostoli Luc. 24. 47. cuius complementum in Actibus c. 2. 14. c. 3. & seqq.) tūm dignitatis seu modi dignioris, & ministerii personalis qvaten⁹ propriæ veritatē, ut Dei promissiones Patribus factæ constarent, Christus ipse futurus erat minister circumcisōnis, seu Israeliticæ gentis, non nisi in hac visibili præsentia revelandus, non nisi in hac Redemtionis partes omnes peracturus, non nisi in hac audibilis & immediatus Doctor futurus, miracul⁹ parraturus Rom. 15. 8. Act. 10. 36. 37. Unde, curriculum persona e Messiae Evangelicum, veteris Judææ limitibus absolvitur, & venit qvidem Christus in fines Tyri & Sidonis: sed non venit Tyrum, non Sidonem, & Canaan illa dicitur

citur ex finibus Tyri & Sidonis egressa, Christum secuta, clamavisse post Christum Matth. 15. 23.

**Concl. 13.** Missio adeò illa & servitus terminabatur *gente & Israeliticā regione*, etsi, qđ ex gentibus tunc inter Judæos vivebant, vel regionem Judæorum intrabant Proselyti, vel infideles famā miraculorum CHRISTI allecti fideles redditi, extraordinariæ illius missionis fructu salutari, propter ipsam gentem Israeliticam, ad quam hāc missione erat destinatus, frui poterant. Matt. 8, 10. Marc. 3, 7. 8. Constat inde officium Propheticum Christo à Patre demandatum hāc lege & ordine, uti primò omnium illud exequeretur in gente Israelitica, nec saltem per Apostolos: sed & in personā propriā, & ipse adeò immediate, non in orbe gentium, vel prædicaret, vel miracula patraret; sed utrumq; tantum in patriā, & gente Israeliticā: illud autem solis Apostolis & quidem post ascensionem demum præstandum committeret. In executione adeò officii Propheticī distinguenda sunt tempora. Missus erat Christus circumcisioνis Diaconus, uti primò in propria ventret, ac in suā gente λόγῳ οὐκ ἐργῷ seu doctrina & miraculis, se se reuelaret, unde ipse intra Palæstinæ limites οὐκέπειν illam visibilem, continebat, vel in ipsis limitibus Palæstinæ substinet: qđ in hoc intervallo & primā ablegatione Discipulos τὸν LXX. & Apostolos in viam gentium ire noluit: sed tantum ad Iraelitas ablegavit Matt. 10, 5. 6. at consumato jam Redēctionis opere, officii Propheticī partes in toto orbe per Apostolos executurus, aliterjam loquitur: *Vos, inquit, eritis mihi testes (1) in Jerusalem (2) universā Iudeā (3) Samaria (4) adusque novissima terra, Act. 1, 8. neq; interdictit Apostolos ire ad gentes (prout in legatione 1.) sed jubet ire in orbem universum, & omnibus gentibus prædicare Evangelium.* Matt. 28, 19. Marc. 16, 15. Luc. 24, 47.

**Concl. 14.** De hāc servitute intelligendum esse dictum hoc Dei Patris ad Christum c. 49, 3. SERVUS meus es tu! probamus. ex modificatione illius servitutis & restrictione ad Iraelim, ut scil. es sit decus & gloria Iraelis, seipsum in personā propriā (non tantum ministerio Apostolorum) decorum in hoc præstaret, & gloriam

xiam Unigeniti manifestaret. Conf. qvā complementum Joh. 1, 14.  
c. 2. II. c. 4. 54. c. 12. 28. 29 Act. 10. 38. 39. Probamus, 2. ex clarissimā  
hujus dicti exegesi in v. 5. ubi Christus Ie jam inde ab utero Matris for-  
matum esse dicit SERVUM DOMINI, ad reducendum Jacob, & con-  
gregandum Israelem. Atque adeo, qvorum respiciat servitus Messiae  
in v. 3. apertè ostenditur novā modificatione v. 5. qvæ eadem denuo  
reassumitur in v. 6. ubi aderibus Israeli idem SERVI officialis titu-  
lus restringitur. Probamus 3. ex comparatione dicti seu mandati  
divini ad Messiam primi in v. 3. & secundi in v. 5. & 6.


Concl. 15. In præcepto vel dicto demum secundo Messias in  
officio Prophetico designatur positus in lumen gentium & salutare  
Domini ad usq; fines terræ. E. servitus illa in v. 3. respectum habet  
ad Israelem, & specialissimam adeo illam Messiae ad Judeos legati-  
nem. Sed & talis notatur servitus Messiae in v. 3. cujus qvoad inten-  
tum salutarem, in totâ gente, fructum, frustratio ipsi Messiae fuit  
peculiaris causa querelæ in v. 4. & occasio vocationis Gentium in  
v. 5. & 6. Tale exercitium officii notatur, in v. 3. qvod extensivè  
& objectivè est infra amplitudinem vocationis gentium, & adeo be-  
neficium non omnium populorum vel gentium ad usq; fines terræ: sed  
unius certæ gentis. Conf. v. 6. Sed & notetur proportio inter Messi-  
am Servatorem unius Israeli: & Servatorem Gentium ad usq; fines terræ,  
ex qvâ proportione Deus Pater in dicto secundo v. 5. & 6. confir-  
mat Messiam contra moxorem oriturum ex prævisâ paritate fru-  
ctus sui meriti & ministerii inceps Judæos. Inter unam gentem &  
orbem terrarum, nulla vel modica saltem proportio. E. Messias non  
tam de fructu sui ministerij, et peculiariter sibi onerosi, Israeli gloriose  
debet dolere, qvam de conversione gentium gaudere: qvippe ordinatio  
& destinatio Messiae ad conversionem unius gentis, minus qvid est,  
qvam ordinatio Messiae ad conversionem gentium ad usq; fines terræ.  
Apparet inde (1) dictum illud Messie in v. 4. membro 1. habere vim  
dolorosæ querelæ: & Christum ex seria Dei Patris intentione, labo-  
rasse, & robur consumisse ad usq; mortem crucis, etiam pro illis, qvi  
pereunt, & in qvibus frustratio datur ordinati illius consilii divi-  
ni. (2) Dictum ibidem in memb. 2. esse Messiae protestantis, & in  
negotio specialissimæ missionis ad judicium divinum appell-  
lantis, conf. Joh. 15, 22. 24



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn775827002/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827002/phys_0023)

DFG



## ORATIO IV.

Si Redemptorem antecesserit decretum servandi homin  
itanter in Christum credituros, & ipsum adeo actum pra  
mis, ut errent, qui decretum missionis vel vocation  
oris, effectum adæquatum & executivum prædestina  
nunt. Christus, prout ab æterno fuit ~~æ~~γενωμένος  
maculatus, cuius pretioso sanguine eramus redimendi  
ita ab æterno quoque destinatus fuit Mediator, et si ne  
æternitate realiter seu exercitio reali, & plenariâ ~~æ~~ρεγ  
illud officium, ad quod jam fuit ~~æ~~γενωμένος, per  
nec in omnem æternitatem perficiet. Si posterius, neg  
atio, quæ hoc loco memoratur, ad executionem di  
sit in tempore, pertinet, & facta, vel futura memoratur  
visceribus matris, & æquè adeo supponit Messiam in  
prout illa quæ memoratur de *Jeremiâ, Johanne, Paulo,*  
*cap. 1, 5 Luc. 1, 15 Gal. 1, 15.*

Concl. 6. Qvaritur (2) an *Vocatio* hæc sit appella  
impositio nominis Iesu, & adeo nomenclatura vel appella  
Vocatio hæc conjuncta fuit cum ~~הַזְכָרָה~~ השׁרָת seu,  
nominis, & adeo fuit nominalis, ita ut expresso nomi  
niam Servatorem mundi DEUS vocaverit: neque verò *Vocatio*  
solvitur solà nomenclatura, seu impositione nominis JESU  
quomodo nominis illius commemoratio demum exute  
cta, cum id nominis illi jam impositum ante existentiam  
tris, intimatū scil. à Gabriele Maria, ~~אֶלְעָזָר~~ גַּבְרֵא מִצְחָנָה  
*מִצְחָנָה*, *Luc. 1, 31. cap. 2, 21?* Resp. Nominatio hæc i  
stantiam, & adeo jam ~~æ~~γενωμένο, nec per hanc factam  
existere in utero, negatur nominatio, proximè facta ant  
in Mariæ utero. Sed & vox ~~הַזְכָרָה~~ השׁרָת non dicit simplic  
itionem: sed recordationis causalitatem, seu memo  
riæ. c. apud Josephum. Idem Gioriel, qui Mariæ nom  
inavit proximè ante conceptiōnem, nomen idem  
inavit, & qvidem expressa ratione officiali nominis  
ptionem Matth. 1, 21. ubi vero Messias dicere poter  
Dd

